



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Parochorvm, Sive Institviones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

III. In Mysteriis sacris seruandum est decorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

partem, aut totum exsoluant, si postea se impediendos aduertant. Sacrâ Confessione non dico labes , quod magis necessarium est, sed etiam labeculas , quod consilii est, sâpe expia, quò purior sacrifices. Sacerdotes Mo- saici sacra tractaturi, quotidie Iauabunt: quam in rem prostabat vas æneum ex mulierum speculis: ut curiosè vel minimas labeculas inspicerent, elueréntque : quâm æquius est te face- re , qui diuiniora tractas ? Audi Augustinum in Psal : 99. *Semper confi- tere, quia semper habes, quod confitearis: difficile enim est in hac vitâ, ut sic homo mundetur, ut nihil inueniatur in eo, quod reprehendatur.* Vide pro exemplo Elephantem:

*Quotidie surgens viuo sô perluit amne.
Ut solis radios orientis purus adoret.*

N V M: III.

Ministeria sacra ritè peragenda.

Nunc

Nunc ad ministeria sacra atten-
damus. Obeunda tibi illa sunt:
animum recollige, quæ agenda erunt,
reuerener, exactè, & rite pertracta :
Quæ voce promenda , distinctè, & cum
pietatis sensu pronuntientur , præser-
tim in Sacrificio , & administratione
Sacramentorum : id postulat rerum
ipsarum dignitas , & ædificatio præ-
sentium , qui offenduntur alioqui , si
irreligiosè vident peragi Sacra à Sa-
cerdotibus , neq; credunt res sacras
esse , quæ indignè à ministris tractan-
tur. Cauendum tamen , ne nimiâ reli-
gione quid in hoc genere pecces : vt
si affectes modulatam , aut nimiùm
compositam pronunciationem , si ge-
stiunculis quasi Comicum agas , si lon-
gâ cunctatione , fastidium , & nauseam
aliis crees : moderatio enim etiam in
Sacris adhibenda.

NVM: IV.

Decor , & decorum in templo .

Porro